



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

28 Maleficia licitis orationibus curantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

sumitur, & liquefcit, eodem modo cor mulieris, amoris calore talis viri ferventer ardeat, & ut plurimum, admittis ecclesiarum sacramentis, sicut est hostia sacra, ut per gloss. in cap. accusatus, §. sanè, de heret. in 6. & aliis modis, ac rebus admittis de quibus per Gril. eodem tract. de sortileg. qu. 3. num. 11. & ferè per tot.

23 Maleficæ artes, † impedimenta, & infirmitates, ( exceptis factis cum aliquibus nodis, vel solutionibus, quæ reperta nō dis fractis, aut combinatione materiæ soluta de facto destruantur, & solvantur, ) scientia humana destrui non solent: nisi per ejusdem artis magistros, vel, qui sint diabolicæ professionis benè instructi, aut aliquo modo participes: quia maleficia ipsa absque ministerio, & suffragio dæmonis, tam rebus ipsis quàm verbis, communiter inferri non solent in corporibus, pariter, nec tolli: quoniam medicina naturalis, & omnium physicorum, & chirurgorum ars tota communiter non sufficeret ad sanandum corpora ipsa, & removendum dæmonis opera, sed solum per eosdem, qui sub eadem professione morantur, & qui maleficia ipsa facere solent, arte, & instructione dæmonis destrui, ac tolli possunt. S. Thom. in 2. 2. qu. 92. art. 6. & tenet Gril. eod. tract. de sortil. qu. 2. nu. 2. & 3.

24 Maleficiati † enim difficilius curantur, quàm energumēti, & à dæmone obsessi. Mal. malef. Spreng par. 2. quest. 2. capit. 6. vers. expedit lectorem. Omissis tamen diversitatibus opinionum, an licitum sit nec ne maleficia tollere per alia maleficia, &

opera supersticiosa, quas recenset, quamplura exempla deducendo Mal. malef. dist. par. 2. quest. 2. secunda par. princip.

† Non est licitum, uti magicis artibus, vel aliis quibuscunque superstitionibus à Deo, & Ecclesiâ prohibitis pro quocunque bono fine, nec permittendum maleficia maleficiis repelli, aut dispensandum quocunque casu, ut talibus licitè quis uti possit. Pegna in Direct. Inquisit. comm. 68. circ. fin.

† Nec sunt facienda mala, ut inde eveniant bona, ut inquit Apostolus, & contra dictos articulos profitentes, iudicio Inquisitorum hæreticæ pravitate subijciuntur, ut per eundem Pegnam ibi in fin.

† Sed ad Deum est recurrendum, qui omnia novit, & cujus oculis omnia subijciuntur, cap. fundamenta, §. proinde, de elect. in 6. & Navar. in relect. cap. novit. de ind. not. 1. nu. 1. tom. 2. & omnia potest, in cujus nomine dæmonia eijciuntur. Marc cap. ult. Nam licitis orationibus maleficia curantur, ut d. cap. 6. per tot. & flagel. dæmon. per tot.

† Ubi de modo Deo auctore fugandi dæmones à corporibus obsessis, & quomodo exorcista se debeat preparare satis diffusè habetur, ad quæ lectorem remississe sufficiat.

\* \* \*